

2) *Vulgari conceptu*, spatium concipimus : a) indeterminate et abstracte de quocumque loco, — b) vel ut ingens unum omnium receptaculum continuum, in omnem dimensionem se porrigens.

Propositio 64.

Spatium non consistit in relationibus corporum simul existentium et certo modo inter se ordinatorum.

Stat. quaest. 1) Leibnitz spatium definit relationem seu ordinem non solum inter corpora existentia, sed et inter possibilis ac si existerent.

2) Concedimus relationes locales immediate a spatio oriri; et spatium ipsum nobis ex relationibus illis innotescere; sed negamus spatium ipsis relationibus localibus constitui.

Prob. 1° Si spatium formaliter consisteret in relationibus localibus, ea quae spatio tribuuntur, tribui etiam his relationibus possent; *a.* haec omnia de ipsis relationibus localibus dici non possunt; *e.*

Prob. min. Spatium est praevia conditio corporum locandorum; est vacuum vel impletum; est tantum quanta corpora locanda; *a.* haec omnia de ipsis relationibus localibus dici non possunt; *e.*

Prob. 2° Si illae relationes essent spatium ipsum, mutatis relationibus, mutatum esset spatium; *a.* ita non est; *e.*

Ad min. Si moventur, fiunt vel destruuntur varia corpora, etiam variae mutantur relationes locales in aliis manentibus corporibus; *a.* non spatium mutatur; *e.*

Prob. 3° Si... , posito unico corpore, jam intrinsece repugnaret illud moveri (nam nullum esset spatium quia nullae relationes locales), et corpus quod reipsa movetur, si cetera destruerentur, ipso facto quiesceret; *a.* haec sunt absurda; *e.*

Coroll. Aliqui dicunt : spatium reale physicum ex simultanea plurium corporum existentia oritur ac determinatur; nam haec existentia est fundamentum realis relationis; *a.* haec relatio est capacitas realis recipiendorum corporum, seu spatium reale; *e.*— Sed *R. n. ass.*— ad *prob. c. maj.*— *n. min.* [a) non spatium est in corporibus, sed corpora sunt si spatio, — b) non spatium oritur ex corporibus praesuppositis, sed spatium praesupponitur ut corpora esse possint, — c) ipsi termini istarum relationum sunt jam in spatio contenti].

Objic. 1° Mutata relatione rerum simul existentium, mutatur spatium; manente relatione, idem manet spatium; *e.*— *R. d. ant.* mutata relatione mutatur formaliter spatium, *n;* mutatur spatii occupatio realis, *e.*

Objic. 2° Cogitando res in spatio positas, cogitamus eas sub relationibus ad alias res; *e.*— *R. d. ant.* cogitamus eo ipso formaliter sub relationibus, *n;* consequenter, vel concomitanter, vel antecedenter, *e.*

Propositio 65.

Spatium purum seu mathematicum est extensio ipsa abstracta; spatium physicum est capacitas continendi vel recipiendi rem naturalem extensam; spatium vacuum est eadem capacitas, addita negatione omnis impedimenti corporei quod corpori quanto se opponere possit.

Stat. quaest. Tres sententiae de natura spatii, quarum quaelibet ex parte vera est, inter se conciliantur; scilicet tres spatii definitiones admittuntur sed cum distinctione.

Prob. 1^a pars (purum). Concepta extensione abstracta, eo ipso formaliter spatium illud concipitur, quod est fundamentum relationum geometricarum; *e.*

Prob. 2^a pars (physicum). Spatium physicum ex conceptu communi hominum est id quod de se quidem est vacuum, quod impleri potest, quod impletum est corporibus praesentibus; *a.* tale nec extensio abstracta, nec vacuum ut sic, sed capacitas continendi corpora extensa concipitur; *e.*

Ad min. 1 part. (non extensio ut sic). Haec non est id quod impleri potest, vel impletur, sed id quo impletur spatium.

Ad 2 part. (non vacuum ut sic). Hoc impleri potest, sed per impletionem tollitur; *a.* spatium et impleri potest et impletum manet idem spatium; *e.*

Ad 3 part. (sed capacitas). Spatium formaliter concipitur ut aliquid quod sit per se vacuum, quod re extensa impleatur eamque contineat, quod tres dimensiones habeat, quod in partes extensas dividi possit, quod extensione intrinsece mensuretur; quod sit aeternum, indestructibile, quaquaversus permeabile, infinitum, immobile, habens partes inseparabiles; — *a.* haec omnia essentialiter conveniunt huic capacitati; *e.*

Prob. 3^a pars (vacuum). Concipiendo negationem impedimentorum, concipitur non spatium formaliter ut sic, sed spatium ut vacuum; et e converso, concipiendo spatium ut vacuum, concipitur formaliter haec negatio...; *e.*

Ad ant. Spatium ut sic, etiamsi sit impletum, ibi est ubi est corpus implens et impediens...

Propositio 66.

Spatium non est ens quoddam actuale, sive ens sui generis dicatur sive divina immensitas.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quid sit a parte rei, capacitas illa corpora recipiendi; — varii varie respondent.

2) Alii dicunt esse aliquid reale existens; quod explicat Gassendi cum aliquibus antiquis atomistis, esse aliquod ens sui generis, vacuitatem quamdam infinitam, increatam, quae non corpus sit, nec substantia, nec accidens, sed medium quid.

3) Eadem responsionem explicant Newton, Clarke et aliqui angli, esse

extensionem actualem, infinitam, incretam; quae, cum extra Deum nihil tale habeatur, sit ipsa Dei immensitas.

Prob. 1^a pars (*ens sui generis*). 1^o Haec ipsa res in alia aliqua recipi deberet, quae iterum in tertia, et sic in infinitum; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Ad maj. Haec ipsa res esset extensa; *e.* ob easdem rationes ac ceterae res extensae, possibilis non esset nisi in aliquo receptaculo extensionis.

Prob. 2^o Haec res nec substantia, nec accidens esset; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Ad min. Ens reale adaequate dividitur per differentiam contradictoriam inhaerentis et non inhaerentis.

Prob. 3^o Haec res increata, aeterna, esset ens a se; *e.* absolute necessarium, et realissimum, seu Deus.

Prob. 2^a pars (*immensitas Dei*). Immensitas Dei non distinguitur ab essentia Dei, estque simplicissima, ac repugnat esse formaliter extensa; *a.* spatium est illud in quo corpora extenduntur, estque formaliter extensum, habens partes extra partes; *e.*

Coroll. Distingui quidem potest spatium actuale, et spatium possibile, imaginarium; sed male concludunt aliqui (Fénelon, Lessius) spatium imaginarium esse formaliter immensitatem divinam; nam etiam hoc non potest separari a conceptu extensionis formalis.

Objic. 1^o Spatium vere rebus extensis impletur, easque ambit; *a.* quod ipsum nihil est, nequit impleri, vel ambire; *e.* — *R. d. maj.* ... ad modum entis actualis, *n*; ad modum entis potentialis, seu possibilitatis, *c*; — *d. min.* nihil absolutum, *e*; relativum, *n*.

Objic. 2^o Spatium illud est quod res omnes intime pervadit, estque mensura omnium extensionum localium; *a.* sola Dei immensitas est omnibus intime praesens, estque prima mensura omnium extensionum localium; *e.* — *R. d. maj.* mensura proxima et proportionata. ., *c*; remota et eminens, *n*; — *c. d. min.*

Objic. 3^o Spatium prius est omnibus rebus creatis; *a.* ante omnes res creatas nihil est nisi Deus; *e.* — *R. d. maj.* prius ut ens actuale, *n*; ut ens potentiale, *c*; — *c. d. min*; — *d. cons.* Deus est formaliter spatium, *n*; est ultimum fundamentum spatii possibilis, *c*.

Objic. 4^o Spatium caret limitibus, est infinitum; *a.* tale solus est Deus; *e.* — *R. d. maj.* infinitum actuale, *n*; potentiale, *c*.

Propositio 67.

Spatium non formaliter consistit in ipsa corporum extensione, sive in continuata corporum extensorum serie.

Stat. quaest. 1) Eandem responsionem: spatium esse aliquid reale existens, alii explicant, esse aliquid in ipsis corporibus existentibus.

2) *Cartesius*, essentiam corporum cum essentia spatii confundens, in

extensione secundum tres dimensiones reponit, ita ut conceptus *substantiae corporeae, extensionis* seu *quantitatis, spatii*, sint plane idem.

3) *Balmes* spatium formaliter in corporum non quidem substantia, sed extensione consistere censet, ita ut ubi nullum corpus, ibi nullum spatium; ubi nullum interjacens corpus, ubi nulla distantia, ergo tactus immediatus, et repugnantia absoluta vacui.

4) Concedimus extensionem quam spatium proxime spectat, esse realem extensionem corporum; sed negamus hanc ipsam corporum extensionem per se spatium formaliter constituere.

Prob. 1^o Ex communi conceptu: 1) spatium est continens, corpora sunt ratione suae extensionis in spatio contenta; — 2) spatium est aliquid occupabile et implebile, corpora ratione suae extensionis occupant et implent spatium; — 3) spatium est de se vacuum, et adveniente alio fit plenum, corpora sunt illud adveniens, quod ratione suae extensionis implet spatium; — *a.* haec praedicata se mutuo excludunt; *e.*

Prob. 2^o Posita annihilatione pleni medii inter duo corpora, vacuum proprie dictum oritur; *a.* huic vacuo convenit ratio veri et puri spatii; *e.*

Propositio 68.

Spatium non est subjectiva quaedam sensibilitatis forma Kantiana.

Stat. quaest. Ad eandem quaestionem, quid sit a parte rei capacitas illa corpora recipiendi, altera est responsio, esse ens rationis sine fundamento in re; quam responsionem nominales explicant esse purum figmentum mentis; *Kant* autem explicat esse formam subjectivam facultatis quam vocat sensibilitatem (cfr. *logic.*); qua forma, seu necessitate nobis innata, feramur ut res externas quantitate quasi aspergamus.

Prob. 1^o Unde notionem extensionis, inde etiam notionem spatii haurimus, quod concedit *Kant*; *a.* notionem extensionis non ex aliqua forma subjectiva, sed ex ipsis rebus perceptis haurimus; *e.* — *ad min.* cfr. supra prop. 2.

Prob. 2^o Notio motus ex ipsis rebus perceptis hauritur, habeturque motus revera in rerum natura externa; *a.* notio motus cum notione spatii arcte connectitur, ut conditionis sine qua nullus motus haberi possit; estque ibi spatium ubi est motus; *e.*

Ad maj. Haec si negantur, tollitur omnis certitudo objectiva, omnisque mathesis applicata, et scientia physica (Agitur de motu locali in hoc argumento).

Prob. 3^o Quod infinitum est, et essentialiter quamdam possibilitatem dicit, a sensibilitate percipi non potest; *a.* spatium infinitum est, et est quaedam possibilitas; *e.*

Ad maj. Omnis actus sensitivus, sive externus, sive internus, semper et siue ulla exceptione objectum formale aliquod habet finitum, actuatum;

etiam imaginatio abstrahit quidem a conditionibus concretis loci et temporis, retinet tamen aliquas saltem indeterminatas, et simul individuationem, actualitatem, finitudinem.

Objic. 1° Prius repraesentationem spatii habere debeo, quam res ut in loco diverso a meo loco et a loco aliarum positas (seu ut alias extra et juxta alias positas) percipere possim; *e.* non conceptus spatii ex experientia sed e contra experientia ex conceptu spatii hauritur; *e.* — R. 1) *n. singula*: [a) una cum corporibus percipio eorum extensionem et situm, inde spatium; b) actu directo percipiuntur res in diverso loco, et aliae extra alias, sed non ut in diverso loco et ut aliae extra alias; ita enim percipiuntur solo actu reflexo; c) duceremur in idealismum]. — R. 2) *d. ant.* prius quam res quae sunt extra me et aliae extra alias percipiam, *n*; prius quam res ut extra..., *e.*

Objic. 2° Si notio spatii experientia compararetur, ea spatiis multis conjunctis et compositis efficeretur; *a.* ita fieri nequit; *e.* — *prob. min.* 1) Notio spatii excedit omnia spatia per experientiam nota; 2) spatia particularia non concipiuntur nisi ut limitationes spatii universalis prius concepti. — R. *n. maj.* vel *d.* conjunctis et compositis particularibus, *n*; abstractis limitibus particularibus, *e.* — *c. d. min.* — *ad rat. add.* 1) *e*; — *ad 2) d.* ita concipi possunt post actum reflexum, *c*; debent, etiam actu directo, *n.*

Objic. 3° Spatium infinitum est; *a.* extra mentem nihil infinitum est; *e.* — R. *d. maj.* spatium actuatum seu determinatum, *n*; ideale seu absolutum, *c*; — *c. d. min.* nihil actuatum, praeter Deum, *c*; nihil potentiale, *n.*

Objic. 4° Possumus quidem cogitare nullas res esse in spatio, sed cogitare non possumus spatium nullum esse; *e.* id est subjective necessarium a priori. — R. *d. ant.* spatium nullum possibile, *c*; spatium nullum actuatum, *sd.* imaginari non possumus, *tr*; cogitare non possumus, *n.*

Objic. 5° Spatium non est conceptus discursivus vel universalis, ab intellectu efformatus, sed pura intuitio; — nam non possumus concipere nisi unicum spatium, cujus plura spatia finita sint partes in eo contentae et ex eo decerptae. — R. *Ad 1^m part. ant.* non discursivus sed intuitivus, *n*; — *ad 2^m part.* non universalis, *d.* cum cogitatur ut spatium infinitum, *c*; cum abstracte concipitur ipsa notio spatii indeterminata, *n.*

Objic. 6° Spatium repraesentatur ut infinitum; *a.* conceptus intellectus potest quidem esse infinitus extensive, i. e. universalis, sed non infinitus comprehensive, i. e. exhibens notam infinitudinis; *e.* spatium non est conceptus intellectus, sed sensibilitatis intuitio a priori. — R. 1) *d. maj.* spatium in communi et indeterminate sumptum, *n*; spatium infinitum determinate sumptum, *c.* — R. 2) *c. min.* 1^m part. — *n.* 2^m part. — R. 3) *n. cons.*

Objic. 7° Omnes notiones ex experientia haustae, contingentes sunt; *a.* notio spatii est necessaria et praebet fundamentum mathesi; *e.* — R. *d. maj.* notiones haustae formaliter et adaequate ex experientia, *c*; materialiter et inchoative ex experientia, *n.* — *tr. min.* — *d. par. cons.*

Objic. 8° Spatium est quod omnes perceptiones ligat; *a.* ejusmodi ligamen

non potest non esse subjectivum; *e.* — R. *d. maj.* quod perceptiones singulas corporum ligat tanquam ligamen objectivum, *c*; subjectivum, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 9° Ibi est spatium trium dimensionum, ubi est spatium quatuor et plurium dimensionum; *a.* hoc in sola mente est; *e.* — R. *n. maj.* (alterum objectivum, in rebus fundatum; alterum subjectivae imaginationis commentum).

Propositio 69.

Spatium formaliter acceptum est ens rationis cum fundamento in re.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem: quid sit objective capacitas illa corpora recipiendi et continendi, tertia est responsio, quae est nostra: esse a parte rei nihil actuale existens, nec tamen merum figmentum mentis nostrae, sed esse conceptum objectivum mentis nostrae cum fundamento in re.

2) Fundamentum hoc triplex distingui potest: a) *logicum*, i. e. nostrae cognitionis, est extensio actualis existentium corporum, nam abstrahendo actualem existentiam, concipimus extensionem ut sic, vel ut possibilem. — b) *ontologicum proximum*, i. e. cur sit haec capacitas recipiendi, est ipsa possibilitas corporum extensorum, seu ipsa corpora extensa possible; — c) *ontologicum remotum* seu *ultimum*, i. e. cur sit ipsa haec possibilitas extensorum, est divina immensitas.

3) *Ens rationis* hic non intelligimus ens in sua essentia contradictorium, sicut circulum quadratum, sed id quod, praeter suum esse objectivum in intellectu, aliud esse non habet, cogitatur tamen quasi esset aliquid actuale. Hanc nostram explicationem compara cum explicatione universalis reflexi quam in logica dedimus: illud enim sensu prorsus simili dicebamus esse *ens rationis*, i. e. objectum cogitatum, quod quale cogitatur, formaliter nusquam extra mentem existat, cogitetur tamen tale *propter fundamentum* in rerum natura existens.

Prob. 1° Spatium formaliter sumptum, est capacitas seu possibilitas recipiendi et continendi solidam extensionem, vel motum extensione commensurabilem; quae capacitas est non per modum extensionis abstractae, convexae, sed per modum extensi receptaculi, concavi; *a.* — talis capacitas est ens rationis cum fundamento in re; *e.*

Prob. min. 1 part. (est ens rationis). Talis capacitas, formaliter sumpta actualem entitatem non habet; et tamen ut ens a ratione concipitur; *e.*

Prob. 2 part. (cum fundamento). Intrinsece possible sunt corpora extensa ut extensa; *a.* haec intrinseca possibilitas sufficiens fundamentum praebet cur concipiatur per modum loci capacitas aliqua huic extensioni commensurabilis et ad extra protensa, i. e. per modum distantiae cujusdam voluminalis inter terminos assignatos vel assignabiles; *e.*

Prob. 2° Spatium aut est aliquid reale actuale existens, aut est merum

figmentum mentis, aut est mentis conceptus cum fundamento in re; *a.* non duo priora; *e.* (Cfr. prop^{es} sup.).

Prob. 3° Spatium existit a parte rei quoad id quod concipitur, i. e. extensio realis corporum; sed non quoad modum quo concipitur, i. e. extensio abstracta, ad modum receptaculi; est igitur quoad modum quo concipitur, formaliter in mente tantum, abstrahente conceptum directum, et reflectendo efformante conceptum formalem; fundamentaliter vero in rebus ipsis possibilibus ut extensis; *e.*

Objic. 1° Secundum hanc explicationem, spatium esset nihil; *a.* absurdum est ut corpora existant in nihilo; *e.* — R. *d. maj.* nihil realitatis actualis, *c;* realitatis objectivae, *n;* (sicut possibilia omnia, vel possibilitas objectiva).

Objic. 2° Spatium illud est quod vere impletur corporibus; *a.* nullum ens rationis corporibus potest impleri; *e.* — R. *d. maj.* spatium fundamentaliter et objective sumptum, *c;* formaliter, *n.*

Propositio 70.

Non intrinsece repugnat esse vacuum in mundo corporeo.

Notiones. 1) *Vacuum* est spatium nullo corpore occupatum, seu locus privatus corpore (Arist. phys. 4. c. 7).

2) *Vacuum improprie dictum* esset, a quo solum corpus *sensibile* excluderetur. — Agitur hic de proprie dicto.

3) *Vacuum*, sicut spatium, est vel *absolutum* seu *ideale*, quod nullum terminum determinatum dicit; vel *relativum* seu *actuatum* quod sicut locus determinatum dicit terminum. — Agitur hic de actuato.

4) Distingui potest *vacuum coacervatum*, quod corpora majore intervallo separat; et *vacuum dispersum*, quod in poris vel inter minimas corporum partes est.

Stat. quaest. *Cartesius* dicit *vacuum* aequè intrinsece repugnare ac circulum quadratum, quum spatium ipsum sit corporum extensio ac substantia.

Prob. 1° Spatium physicum actuatum est capacitas recipiendi corpora extensa, cujus determinati assignentur limites; *a.* inter illos limites nullum actu contineri corpus in illa capacitate, non intrinsece repugnat; *e.*

Prob. min. Corpus intermedium absoluta necessitate requireretur aut ut fundamentum relationis mutuae terminorum distantiae, aut ut causa efficiens fundamenti hujus distantiam fundantis; *a.* neutrum dici potest; *e.*

ad min. 1 part. (ut fundamentum). Relatio distantiae fundatur non in aliquo ipsis distantibus extrinseco, sed in eorum intrinseca ubicatione.

ad min. 2 part. (ut causa efficiens). Hujus causae operationem saltem omnipotens Deus supplere posset; *e.* etiamsi haec requireretur, quod non concedimus, tamen non absoluta necessitate requireretur.

Prob. 2° Sequerentur absurda: 1) si annihilaretur, corpus medium inter duo alia, haec alia duo, *ipso facto*, sine motu appropinquationis, se tangerent;

2) Et si iterum crearetur corpus medium, haec duo, *ipso facto*, sine motu separationis, distarent.

3) Si destrueretur corpus in vase contentum, *ipso facto* parietes vasis coi- rent; et vicissim.

4) Non quia duo corpora distant, possibile esset tertium mediare, sed e converso.

5) Si destructis omnibus ceteris, duae sphaerae distantes solae manerent, *ipso facto* sine ulla mutatione: a) essent in contactu, b) essent cubicae (nam secus maneret vacuum).

6) Si sola duo corpora manerent, quorum alterum in quiete, alterum in motu, *ipso facto*, non obstante motu suo, hoc alterum a priori non posset elongari (nam fieret vacuum).

Objic. Annihilato omni corpore medio, jam inter terminos distantes aut manet aliquid aut nihil; *a.* si prius, jam vel est vacuum contradictio, vel spatium est aliquid reale existens praeter corpora; si posterius, jam termini non distant sed se tangunt; *e.* — R. *c. maj.* — *tr. 1^m part. min.* — *n. 2^m part.* (illa se tangunt non inter quae nihil extensi reale est, sed inter quae nihil esse potest).

Schol. Utrum saltem *physice repugnet vacuum*; seu utrum *detur de facto* in rerum ordine. — R. *Vacuum coacervatum* satis patet non dari; — *vacuum dispersum* seu interruptum non videtur dari, nam 1) nulla probabili ratione asseritur, quum omnia phaenomena optime explicentur per condensationem et rarefactionem proprie dictam; — 2) si intelligitur vacuum continuum in quo moveantur atomi: repugnat certe phaenomenis propagatae lucis, caloris, gravitatis, etc; — 3) si intelliguntur pori vacui, seu cavitates in corporibus continuis: non certe repugnant phaenomena physica, minus tamen facile concordant actiones naturales tanta regularitate propagatae per corpora tanta irregularitate pororum deformata, ut vix ulla linea recta vel regulares anguli manerent; gratis enim supponerentur pori vacui regulariter distributi; — quorum inordinatio, dummodo vacui non sint, nihil officit.

SECTIO 2.

DE DURATIONE ET TEMPORE.

Quales inter se relationes habent conceptus *extensae quantitatis, loci, et spatii*, tales vulgo habent etiam inter se conceptus *successivi motus, durationis, et temporis*. Unde etiam fit ut ordinario de tempore brevissimas potius indicationes quam explicationes invenias. Ad majorem tamen doctrinae claritatem, in re de se satis ardua, non horrebimus quidem paulo longiores expositiones; sed ita eas per parallelismum cum dictis de loco et spatio disponemus, ut singulae de duratione et tempore propositiones cum singulis de loco et

spatio comparandae sint, ac fere iisdem verbis, mutatis pauculis enuntientur. Et sicut illa tractatio, ita et praesens bipartita sit :

Quaestio 1. De duratione.

Quaestio 2. De tempore.

QUAESTIO 1.

De duratione.

Quaeruntur hic duo : quid nimirum sit proprio sensu dicta duratio, et qualem corpus naturalem sibi durationem habeat.

Articulus 1. De natura durationis.

Articulus 2. De modo durandi.

ARTICULUS 1.

De natura durationis.

Propositio 71.

Intrinseca duratio motus realiter distinguitur a motu per eam intrinsece durante.

Notiones. 1) *Duratio* est perseverantia rei in existendo; — opponitur *instanti*, quod in essendo non perseverat sed ita se habet ad durationem, sicut punctum ad extensionem. — Perseverantia in essendo nobis non nisi per motum sensibilis est; eam ergo nos non percipimus nisi per modum extensionis successivae motus; nec durationem quae sit non successiva percipimus, nisi eam comparando ad aliquam successivam cui coexistat vel coexistere possit.

2) *Duratio intrinseca* ea dicitur quae mox definita est, estque forma rei intrinseca. — *Duratio extrinseca* seu extrinsece denominans, est duratio alterius rei coexistentis, notificans, ut mensura, quanta sit duratio intrinseca rei. — Duratio extrinseca se habet ad intrinsecam, sicut locus extrinsecus ad locum intrinsecum.

3) Duratio intrinseca concipi potest, vel *successiva*, i. e. quae constat ex partibus habentibus inter se ordinem secundum prius et posterius; — vel *permanens*, i. e. quae caret successione sed est indivisibilis et tota simul.

4) Partes durationis sunt quandocationes, *quandocatio intrinseca* est modus realiter distinctus, quo res intrinsece denominatur esse nunc vel tunc. — Eius termini indivisibiles sunt *instantia*.

5) Quandocationes intrinsecae sunt fundamentum relationum mutuarum simultaneitatis seu coexistentiae, prioritatis et posterioritatis, seu consecutionis sive immediatae, sive interposita distantia durativa.

6) Cfr. *Suar.* met. D. 50. S. 1-5. — et *Bonav.* in 2 dist. 2. p. 1. a. 1. q. 3, et a. 11. q. 4. — *Conimbr.* 4. phys. c. 14. q. 3, 4. — *de Lugo* Incarn. q. 29. s. 1, Euchar. d. 5. s. 3 et 5. — *Sylv. Maur.* phil. 1. 2. q. 32.

Prob. 1^o Varias partes alicujus motus, i. e. varias ubicationes, gradus intensitatis, quantitatis, vi propriae essentiae indifferentes sunt ut uno ordine, vel inverso ordine sibi succedant; ac proinde ab aliquo alio a se distincto habent ut haec pars sit prior, illa posterior; a. illud aliud distinctum nihil est nisi duratio motus, constans ex quandocationibus essentialiter ita sibi succedentibus; e.

Prob. 2^o Si duratio idem esset ac motus, quanta et qualis esset duratio, tantus et talis esset motus; a. hoc est falsum; e.

Ad min. 1) Motus velocior est major motu tardiore aequae durante; — 2) motus inaequalis seu difformis, non talis est qualis ejus duratio quae semper aequalis et uniformis est.

Objic. Uniformitas et difformitas in motu non definitur per comparisonem partium motus ad partes durationis intrinsecae, sed extrinsecae. — R. a) d. saepius et facilius, c; semper et essentialiter, n. — R. b) n. *supp.* (durationes intrinsecam et extrinsecam non sibi mutuo commensurari, tum quoad se totas, tum quoad partes proportionales).

Schol. 1^m *Velox* est quod sub parva duratione multum habet motus, *tardum*, quod sub magna duratione parum habet motus (compara densum et rarum).

Schol. 2^m Motus est *uniformis*, seu *regularis*, seu *aequabilis*, cujus omnes partes aequales correspondent aequalibus durationis partibus; — est *difformis*, seu *irregularis*, cujus partes partibus durationis non aequaliter correspondent (compara densum homogenum et heterogenum).

Schol. 3^o Utrum sit possibile eundem numero motum redire seu reproduci. — R. Si quaeritur de fluxu partium (ubicationum, graduum) quae per accidens fluunt : potest, nam est de se indifferens ad varias quandocationes. — Si quaeritur de fluxu ipsarum quandocationum, quae natura sua fluunt : non potest, nam intrinsece repugnat.

Propositio 72.

Tota duratio rei permanentis est formaliter successiva, et realiter distincta a re per eam durante.

Stat. quaest. 1) *Res permanens* : creata omnis quae non sit in motu, scilicet substantia sive simplex, spiritualis, sive composita, materialis, et accidens quodcumque.

2) Dicimus de re permanente creata quaecumque; — specialis tamen difficultas attendenda circa spiritum separatum : angelum vel animam.

3) Dicunt adversarii durationem spirituum non esse successivam, sed totam simul, quae mensuretur successive solum *extrinsece*, i. e. ex eo quod majus